



DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
TUSSI INFANTUM CONVULSIVA  
EPIDEMICA.

---

§. I.



Varia a variis Noster affectus obtinuit nomina. Veteribus tussis *θηριώδη* ferina, aliis *κοπιώδη* delassans, aliis *πυριμόδη* sufficativa: Foresto (1) & Dolæo (2) *tussis puerorum* dicebatur. Omnibus nunc sub nomine *convulsivæ infantum* notus est. Atque id nomen Willisium autorem agnoscit. Hujus autem exemplum

A

Ettmül.

---

(1) Observat. L. XVI. obs. 6.

(2) Vid. ejus Encyclop. medic. L. VI. C. IX.



Ettmüllerus omnesque posteri secuti sunt, nec sine ratione. Omnis quidem tussis convulsivi quid præ se fert: magis tamen ea, quam describere mihi mens est, tussis species convulsiva meretur dici. In ejus paroxismo enim & thorax spastice, quin convulsivè movetur & Diaphragma summâ vehementiâ in pectus truditur: quid? ei convulsiones & epilepsiæ horrendæ superveniunt. A recentiorum quibusdam etiam *clangosa* vocitatur a sonitu quem tussientes ejusmodi edunt, peculiari: fere similis in tussiendo sonitus sæpissime etiam tussim vulgarem præcedit, nec ideo illam clangosam, nedum convulsivam appellamus: attamen ille ab illo differt & plane est singularis. Gallis audit *coquelûche*, quod, qui eo morbo tenebantur, caput cucullione velabant, ne ut arbitrabantur, fluxio a cerebro in pulmones irrumperet (1). Pluraque eaque inter se differentia ei nomina imposuerunt Germani. Modo vocatur *Reich-Husten* a verbo *Reichen* id est eum sonitu & difficulter respirare: modo *der Stief-Husten*, quia paroxismo durante laborantes suffocationis metum & periculum incurrunt, quin & sæpe vere suffocantur: modo *der schwarze Husten*

---

(1) Conf. Dissertat. cui titulus: quæstio medica, an tussi puerorum clangosæ, vulgo coquelûche, emesis, quam præside Lud. Claud. Bourdelin proposuit Jo. Baptista Basseville & Parisiis an. 1752 edidit.



Husten; tussientium enim facies cœrulea, livida, nigrescens maximum adstantibus terrorem injicit, idque eo magis, quum sæpe labia atque lingua penitus nigra appareant: modo & imprimis Saxoniæ quibusdam incolis der Esels-Husten ob illum tussientium sonitum, hinnitui Asinorum comparatum: modo denique der Gichter oder Krampf-Husten.

§. II.

Antiquitas miserrimæ & vehementissimæ hujus tussis ab aliis negatur, ab aliis affirmatur. Citatus in notis Bourdelin eam ab Hippocrate haud observatam, sed primo circa initium seculi XVti in Gallia grassatam dicit, tumque temporis indiscriminatim cujuslibet ætatis homines aggressam fuisse, adjungit, & ejus rei testem citat Fr. Valeriolam. Fr. Hoffmannus autem, cujus scripta medicis instar verissimi merito sunt oraculi, in dissertatione sua de tussi convulsiva (1) ex commemorata in Hippocraticis gibbositate ante pubertatem ex tussi facta, eam huic medicorum principi, licet non nomine, tamen omnino re cognitam demonstrat: tussis enim, quæ ejusmodi faceret, profecto non me-

A 2

dio-

---

(1) Quam nunc in oper. suor. omn. Genevæ conjunctim editor. Supplem. II. P. II. legere possumus.



diocris ipsi videtur, sed talis omnino, quæ id omne haberet, quod in tussi vehementissima, quæ convulsiva dici solet, observatum est, quoniam spinæ dorsi & vertebrarum, arctissime per tot vincula inter se deligatarum nexum vitiare valuit. Id vero mirandum, tam paucos esse, qui ejus suis in scriptis meminerint. Willisus, Forestus, Dolæus, Ettmüllerus, Z. Vogel eam obiter modo attigerunt. Th. Sydenham, Fr. Hoffmannus, Storchius, & citat. Bourdelin paulo prolixius de ea scripserunt. Plura in Act. Academ. Nat. curios, ut & Histor. morbor. Wratislav. & Act. med. Berolin. Vol. II. p. 2. a celeberrimis passim viris inserta leguntur.

§. III.

Qui bene distinguit, bene docet: tritissimum illud est & verissimum. Variæ sunt tusses convulsivæ, idiopathicæ & consensuales: & has omnes a nostra epidemica distinguere jubet symptomatum adjunctorum & inprimis causarum diversitas.

- 1) Alia est *ab alienis tam solidis* quam fluidis fortuito in asperam arteriam per glottidis rimam labentibus. Talia horrendas subito sæpe excitant turbas, naturamque ad tantas stimulant tusses, ut suffocatione repentina sæpissime animam reddant miserrimi. Cujusmodi casus & veteres



res & recentiones haud paucos memoriae reliquerunt (1).

2) Aliam cient *tumores, tuberculi duri, scirrhi, calculi* aliaque praeternaturalia, in aspera arteria, brochiis, pulmonumque substantia genita. Hæc tussis interdum satis ferina, vires enim consumit, somnum arcet, stomachum ad vomitum sollicitat, quin & non raro in phthisicam terminatur. Multa igitur cum tussi nostra epidemica communia habet. Calculorum, hisque similium ex pulmonibus excretorum historiae existant plurimæ (2). *Lapides etiam in tonsillis concretos* tussis continuæ vehementisque fuisse causas observarunt quidam (3).

3) Alia, eaque rarissima observata fuit a *vermibus*  
A 3 intra

(1) Vid. Muys observat. Chirurg. Dec. VII. obs. IX. Borell. Histor. & observat. Cent. IV. obs. 63, ubi tussis ejusmodi vehementissimæ exemplum existat optimum. Acta Helvetic. Vol. I. p. 43. & seqq.

(2) Borell. obs. med. phys. Cent. I. obs. 67, Schenck, in observ. Libr. de tumoribus pulmonum: Fr. Franckenaui, in dissert. de calc. capitis & Thoracis: tandem Bonnet. Sepulchr. L. II. Sect. VIII. obs. 36 &c.

(3) Conf. J. Lang. in Epist. med. L. II. 58, Nic. Blegni in Zodiac. med. Gallico a. IV. & Marcel. Donat. L. IV C. XXX.



intra asperam arteriam pulmonesve natis, hospitantibus, tandem excernendis (1). Singularem hic ut addam observationem, invitat me loci opportunitas: eam condere mihi contigit in Gallico, quod Duffelopoli est, nosocomio: cujus medicum Ill. St. Geneys, virum doctrinae soliditate celebratissimum, nunquam non cum fructu in id fui secutus. Vir 34 annorum, temperamentum, ut vocant, sanguineo-cholerici, antea lapidica, nunc levis armaturae eques, in pectoris oppressionem cum tussi sicca sat vehementi incidit; mox tussi ingravescente convulsiva ejecit mucos paucos crassos circumdatos vermes, castanei coloris, blattis similes, paulo tamen minores, vivos. Propinatae fuerunt potio ☉sa cum kermes minerali & camphora, atque p̄sana quaedam pectoralis. Interim haec vermium expectoratio per 8-10 fere dies duravit. Aderant simul febris, magna oris siccitas, rauco, sitis, appetitus deletus, anxietas interdum summa. Pro cibo pruna vel ova dabantur, & emplastrum pectorale thoraci applicabatur. Tandem Pthisi vera pulmonali extinctus fuit. En causam tussis convulsivae & dein phthiseos pulmonalis singularem! Ast unde hi vermes? an ex stomacho? minime, tussi, non vomitu reddebantur

---

(1) Vid. *Bonneti Sepulchret.* L. II. §. III. obs. X. & *J. Rבודium*, obs. med. C. II. obs. 12.



bantur: quid? & sensus reptationis in aspera arteria tussim præibat. Ergo ex pulmonum bronchiis? Docent id tussis vehemens & convulsiva, respiratio difficilis, sensus pruritus in imo pectore & mors ex Phthisi. An igitur ex ovulis inspiratis in pulmonalibus vesiculis geniti?

4) Alia etiam est *metallicolis* familiarissima, eaque sæpe gravissima. Certe non ultima est miseriarum, quæ præcipue premunt minerarum fossores; artifices, qui plumbi mineras tractant ac calcinant, plumbumque ab argento in docimasticis furnis separant; figulos, qui multum cum calce viva sunt occupati, qui pigmenta præparant; pictores, coloribus metallicis qui multum utuntur; denique vinorum saccharo Saturni vel Lithargyrio adulteratorum potatores. His quanti non superveniunt morbi? Dirissima aurem colica, asthma fere insuperabile, & tussis sicca atque vehementissima præ reliquis medici attentionem merentur. Communis earum omnium est causa, & videtur in affectione systematis nervosi consistere (1).

5) Alia *Phthifica*, quæ interdum fit convulsiva, vel ob puris acredinem, aut tenacitatem, vel absces-

---

(1) Consulatur aureus cel. Ramazzini tractatus de morbis artificum.



cessus in ima pulmonis parte situm. Ejuscemodi tussis plerumque etiam periodica, ita ut post certa quietis tempora, majori deinceps vehementia recurrat. In Miscel. Acad. Nat. Curios. D. II. an. VIII. p. 245. exemplum ejus præ reliquis memorabile existit.

6) Alia est ab *exanthematibus* intra corpus hærentibus, sive nondum expulsis, sive retrogressis. In hac enim humor ille acris, exanthemata alias faciens, ad sensiles fistularum arearum tunicas depositus, has vellicat in tussim illam horrendam. Tales hinc tusses morbillorum, variolarum per sepe præcursores, comites, pedissequæ observantur (1). Tales post scabiem, tineam, achores capitis, guttam rosaceam, sudores pedum, aliaque exanthemata repulsa.

7) Alia *Arthritica* satis plerumque crudelis, ab arthritide & Podagra intus regressa. Ilias hinc sæpe malorum. Recedens enim materia, subtilissimum inprimis liquidum, vasis minimis, nervisque dicatum magnâ imbuens acrimoniâ, si cerebrum perat apoplexias, Paralyfes, Deliria, sopores, tremores, convulsiones, debilitates: si viscera abdominalia, nauseas, anxietates, vomitus, ructus

---

(1) Conf. Act. N. C. D III. an. IV. obs. XI. p. 25. Sydenham Oper. om. Tom. 1. p. 120 & sqq.



ructus, tormina, spasmos: si pulmones, asthma, suffocationes, tussimque horrendam efficit (1).

8) Alia est *rheumatica*, ferocissima saepe, & maximâ spirandi difficultate atque suffocationis metu comitata: diuturna etiam, per menses aliquando durans: omni quoque tempore, maxime tamen autumno, adoriens; sed cum rigore, horrore & aliis febrium symptomatibus, qua vespertino imprimis tempore conspicua. Raro sine rheumaticis capitis pectorisque doloribus, hemicrania, odontalgia, pleuritide spuria, defluxione materiae acris a capite ad fauces etc. Humorū acrimoniae, calefacti corporis subitaneae refrigerationi, impeditae perspirationi, suppresso in pedibus cedemati, aliive tumori, ulcerum praematurae consolidationi ortum debet suum. Senibus, cachecticis, hypochondriacis non adeo insolita. Pro subjectorum, quae invadit, varietate, vel *humida* est, vel *sicca*, & prior senibus interdum *critica* (2).

9) Alia est *scorbutica*: Scorbutum merito Willisus morborum legionem vocat. Causa ipsius proxima ab unâ crassities, ab alterâ parte tenuitas acris, salsa, terrea vel acida est. Sed ab unica hac causa pro temperamentorum, locorum, obstructionum,

B

num,

(1) Leg. Sydenham in suo de Podagra tractatu.

(2) Conf. Fr. Hoffmann: Oper. Omn. Tom. III.



num, sedium obstructarum diversitate mala quadraginta novem diversa enumerat princeps & optimus ejus descriptor Engalenus. Tussis & ab eâ observata fuit effera. Cognoscitur hæc ceteris, quæ adfuere & adsunt, scorbuti signis.

- 10) Porro calamum ut accelerem, ab *Hepatis scirrbo* in hecticis & hydropicis :
- 11) A *glandularum Mesentericarum infarctu*, scirrbo in infantibus atrophicis :
- 12) A *vermibus* in intestinis :
- 13) A *testium consensu, tumore*, scirrbo (1) :
- 14) Atque a *dentitione difficili* in pufillis (2) tussium convulsivarum varia extant exempla.
- 15) Satis & atrox plerumque est *stomachica*, sicca quoque maxima ex parte, ab acri sâburra oriunda. Evacuante sæpe brevi cessat medicinâ.
- 16) Agmen tandem claudit *Hypochondriaca* sine expectoratione fere continua. Junguntur flatulentia,

---

(1) Conf. Hipp. Epidem. II. Sed. IV. & Eph. Acad. Nat. Curios. Cent. III. obs. 83.

(2) Ejusmodi exemplum evidens annotavit Riedlinus in Cur. med. Cent. VIII. obs. 832.



tia, intestinorum spasmi ac symptomata reliqua hypochondriaca. Eadem si sceminas, puita sca- tentes, hystericas exagitat, *Hysterica* dicitur & oppido rara est (1).

§. IV.

Ab his autem omnibus nostram facile tussim dignoscimus epidemicâ constitutione: sonitu peculia- ri: paroxysmorum genio, duratione, ordine: decur- su singulari: ceterisque symptomatibus, quæ nunc enumerabimus. Prius tamen quædam, unde clarior fiat morbi historia, præmittam.

1) Est *Epidemica*, id est multos simul in multis regionibus a communi causa orta invadit: imo sæpe per satis longas regiones grassatur. Vere anni 1760, quantum scio, per Ducatum Ber- gensem, Clivensem, Juliacensem & in Gallia etiam regnavit. Hic Dusselopoli mense adhuc Novembri ejusmodi tussientes audivi.

2) Epidemix quoque hujus tussis *inter se differunt*: alio tempore brevi & facile cessat: alio optimis remediis vix auscultat: alio iterum quoque effi- cacissimis indomabilis est, donec temporis pro-  
B 2
gref-

---

(1) Vid. Sydenham in Op, omn. T. 1. p. 257.



gressu aeris melior & emendatior constitutio reddatur (1). Hanc Epidemiarum differentiam & unam ex causis, cur tam varia varii autores remedia praescripserint, credo.

3) *Contagiosa* etiam est & contagio propagatur, licet huic non omnis sit adscribenda propagatio. In eadem domo saepe quatuor eâ decumbunt aegri. Sydenhamus observavit, quod in singulis fere familiis universi laborarent. Saepe alter post alterum eâ affligitur. Facilius autem a majoribus ad natu minores, quam a natu minoribus ad majores transit. A viro quinquagenario tandem in filiolum 6 annorum transisse vidi.

4) Proprie est *affectus infantum*: & maxime ex parte annuos, biennes, triennes, interdum etiam puerulos puellasque 6 hebdomadam invadit. Saltem quo juniores, quo teneriores ejusmodi aegroti, eo majori in discrimine versantur. Neque tamen juvenes, adolescentes 18 - 20 - 25. annorum eâ immunes plane sunt. Cel. Werlhofius (2) hunc mor-

---

(1) Qui comparabit Bresl. Saml. vers. X. p. 676. vers. XI. p. 1731. vers. XX. p. 460 & 566. An. 1726 m. Nov. p. 529. commerc. Litt. Nor. 1737. p. 41 & sqq. Sydenh. op. omnia. T. I. p. 194-195 aliosque, facile hanc differentiam animadvertet.

(2) In commerc. lit. Nor. 1733. p. 172.



morbum infantibus difficili dentitione laborantibus familiarem quidem dicit: familiariorem tamen juvenibus adhuc increfcentibus, hisque quasi proprium. Sed Storchius, alias etiam Pelargus, practicus certe quovis elogio superior (1), in ætate juvenili magis tussim rheumaticam quam vere convulsivam epidemicam observavit. Interim tamen & mecum alii observarunt, etiam paulo adultiores eâ afflictos fuisse: quid? virum quinquagenarium ex eâ extinctum memini. Valeriola etiam observavit, quod aliquando indiscriminatim cujuslibet ætatis homines aggressa fuerit.

- 5) Omnis generis temperamenta, debiles & fortes, sanissimos & cachecticos invadit: at periculo premuntur minori, qui bene; majori, qui male valent.
- 6) Adjuncta tandem huic tussi symptomata pro diverso subiecto sæpe sunt quodammodo diversa. In aliis & plerisque est sine febre. Hinc Sydenhamus quandam hujus tussis epidemiam cum febre & solitis ejus symptomatibus stipatam videns, maxime id miratus fuit, cum alias eam nunquam in tussi hac viderat. Ergo in aliis, licet raro, febris conjungitur. Nec semper etiam hæc febris est eadem: in aliis catarrhali similis; in aliis intermittit instar

B 3

ter-

---

(1) In suo de morbis infantum tractatu T. II. c 32.



tertianæ. Ubi hypochondriacum invadit, hypochondriaca accedunt pathemata, & interdum vix a tussi hypochondriaca, primis faltem diebus, distingui potest: nisi quod orta sit ex regnante tum epidemica constitutione.

§. V.

Quoad tuffis N. symptomata; tria in ea distinguo tempora:

*Initium*, quo levior & sic plerumque 7 dies perstat.

*Incrementum*, quo per paroxysmos ingravescit; id quod die 8vo incipit. Tuncque alia ante paroxysmum, alia in eo, atque alia post eundem apparent symptomata.

Tandem *declinationem*, quæ in aliis post alteram, sed rarissime; in aliis post tertiam septimanam; in aliis etiam post tres, imo sex menses evadit sensilis: incipiunt tunc nimirum paroxysmi nec adeo vehementes & minus frequentes esse.

§. VI.

Principium hujus tuffis admodum lene est. Die lassum, noctu irrequietum perendieprehendit *raucitas sicca*, quam immediate sequitur *tuffis, satis lenis* quasi catarrhalis. Eam igitur incipientem a vulgari  
ca-



catarrhali ut dignoscamus, iudicio opus est exerci-  
tato. Hæc enim etiam interdum epidemice grassatur.  
Verum enim vero catarrhalis est levior & brevior,  
calidiori regimine, aut sumto forsan diaphoretico  
facile cessat: junguntur ipsi plerumque aut Coryza aut  
gravedo aut tonsillarum tumores, atque non raro fe-  
bris catarrhalis: sentitur titillatio in larynge & descen-  
sus materiæ cujusdam in fauces: tempore nocturno  
sæpius exacerbatur: ejus denique sedes est in pectore.  
Nostra autem vehementior, diuturnior, & in multis  
distincta, imprimis ex cognita Epidemia dijudicatur.  
Porro primis 7 diebus est *secca*, vel nihil penitus, vel  
saltem nihil, quod tantis motibus par sit, elidit. In-  
terdum est *humida* & vel parcissimam feri tenuioris  
plus minus acrioris, salivæ similis copiam, vel mucum  
sublividum, sæpe tenacissimum, præviis laboriosissimis  
conatibus exturbat: eumque vel ex palato, Larynge,  
aspera arteria & bronchiis; vel ex postremis faucibus  
& œsophago: vel ex aëriiferis & alimentariis tubulis  
simul educit. Aliquos etiam *dolor capitis gravis, re-  
spirandi angustia, vocis raucitas, horror & febris* statim  
ab initio vexant.

§. VII.

Sensim sensimque *violentior* fit tussis, simul &  
*humidior*, & post *7mum* plerumque diem *per paroxys-  
mos* ingruit. Hicque paroxysmi

a) In



- a) In aliis *frequentiores*, in aliis *variores*. In quibusdam ad  $\frac{1}{3}$  partem horæ: in aliis ad  $\frac{1}{2}$  horæ: in nonnullis ad horam: in ceteris ad sesqui-horam: in paucissimis ad dimidium ferme diem cessat tussis.
- b) In quibusdam *ordinem servant*, suoque tempore reveniunt, vel omni semi-hora, omni hora, omni bihorio accedunt. In me id animadverti & maxime miratus fui: alterâ, tertiâ & quartâ septimanâ paroxysmus meus quavis redibat hora: quintâ & sextâ omni fere bihorio & sic porro. Quantus naturæ ordo! eundem in tussi hac dein etiam legi a cel. quem supra citavi, Storchio fuisse observatum.
- c) Nihilominus paroxysmorum *ordinem turbare* possunt stimuli supervenientes externi v. g. potus acres. Sic semper tussii, quoties Elyx. Hoffm. cum vino adsumferam. Sed paroxysmi hi, quasi extraordinarii, sunt leniores.
- d) Porro in aliis sunt *vehementiores*, in aliis *mitiores*: quidam paroxysmo incipiente anxie per cubiculum currunt, tandem frontem parieti apponunt & sic vim tussis sustinent: quo finito quieti, & quasi nihil eos afflixisset, sua negotia peragunt. In plerisque tussis adeo valida, ut in suffocationis metum adducantur.
- e) Ejusmodi paroxysmus per 2, 3, 4 minuta affligit.  
f) Pri-



f) Primis XV. diebus quam frequentissime, vehementissimeque, noctu & die, inprimis vesperi adveniunt: sed post 3<sup>tiam</sup>, 4<sup>tam</sup>, 5<sup>tamve</sup> septimanam incipiunt minus vehementes & rariores fieri, ita ut 3, 4, 5 & plurium horarum quietem concedant.

§. VIII.

Paroxysmum præcedunt *titillatio in scrobiculo cordis* & aspera arteria. Mox *tussis* tam efferata vehementia tantaque totius corporis concussione contra voluntatem incipit, ut eâ non raro *suffocari* credas ægros, tumque in infantibus adstans vulgus exclamat: *sie bleiben aussen*. Interdum sine sensu, sine motu, sine respiratione procumbunt. Quid? vere interdum suffocantur. Saltem id ut evitent, aerem maximo nisu attrahere in pulmones durante paroxysmo conantur miseri & inde ille *sonitus* asinino similis, qui quinquies, sexies, octies & pluries in uno sæpe paroxysmo auditur.

Sub paroxysmo *facies* sanguine turgēt, rubet, cærulea, livida & ad nigredinem usque tincta conspicitur: *labia* & *lingua* alias ob mucum adhærentem alba, livescunt. Imo tussientibus ejusmodi, quia os apertum, ex aeris vehementi allisione, *labia* sæpe dirumpuntur & sanguinem fundunt: quem etiam interdum ex *faucibus*, sæpius ex *naribus* profluere videmus. *Oculi* prominent: *palpebræ* intumescunt:

C



mescunt: *lachrymæ* copiosæ in genas exprimuntur. Cel. Storchius in duabus filiabus, unâ quinquenni, alterâ 7 annos nata, *vascula in oculorum albuginea rupta* & angulos oculi externos sanguine suffusos a tussis hujus vehementia observavit. *Visus* obscuratur: (1) quin momentanea interdum me vexabat amaurosis: paroxysmo sublato obtusos pone oculos sentiebam interdum dolores, brevi tamen abeuntes. *Caput* dolet: brevi autem post hi capitis dolores plerumque evanescent, nec tempore quietis perstant. Porro *vertigo* vexat alios, quam in quibusdam quoque animadvertit Sydenhamus. Neque ignorari oportet, aliquando *Apoplexiam* suboriri posse, maxime in plethoricis. Boyle de Nat. philos. ex ejusmodi tussi *subitanam memoriæ ac ratiocinii jacturam, nec non manuum, aliorumque membrorum Paralyfin* annotavit. *Frons, collum & superiora corporis maxime sudant: extrema* aliquando refrigescunt: aliquando etiam livescunt: *ungues* in digitis pallefcunt: *venæ* ubique tument: *arteriæ* fortius celeriusque moventur, *Cor* maxime palpitat: *pulsus* fortior, celeris, interdum intermittens: *anxietas* adest magna: *Urinæ & fæces* sæpe involuntarie elabuntur: *pedes & manus* involuntario motu agitantur sæpe: quid? aliquando omnes totius infantuli muscoli simul in confen-

---

(1) Quale exemplum legi potest in den Breslauisch. Saml. im 2. vers. p. 671.



fenfum trahuntur & spastice convelluntur, ut inde miranda & multivariæ fiant motiones.

§. IX.

Tuffi etiam tum sæpe accedit *sternutatio frequens*: non raro jungitur *singultus*: alios arripiunt *convulsiones* & *Epilepsia*. Plerumque simul ventriculus contenta sinu suo excutit, hinc aut *ructus* copiosi, finito paroxysmo, hunc lenientes, exeunt; aut *cibi, potus* & magna *muci* copia *evomuntur*. Tanto autem labore nihil nisi parum *muci tenacis ex albo-flavescentis*, in aquam injecti per aliquot horas natantis, postea autem subsidentis *expectoratur*, sensim sensimque ejus copia major excernitur & post *14<sup>um</sup>* diem vel *3<sup>ti</sup>a* septimana tenuior fit. In initio sæpe tam tenax & ita cohæret, ut infantibus tussientibus sæpe aliquot pollices ante os hæreat & digitis auferri debeat: alias recedit & nescii eum deglutiunt.

§. X.

Post paroxysmum aliqui, iique ceteroquin sanissimi, satis bene se habent & post pauca minuta ad consueta redeunt officia, hæcque absque omni peragunt molestia. Inde tempore Epidemiæ infantes ejusmodi tussientes in templis, scholis & plateis observamus. Alii autem maxime *delassati, debiles*



se valdopere sentiunt, lecto affiguntur, corpore consumuntur. Non pauci pectoris oppressione & asthma affliguntur. Ceterum inquieti sunt, facile irritabiles: vigiliis enervantur: alii satis bene appetunt; in quibusdam autem cernitur appetitus dejectus. Sreatus post XV. diem adest multus, viscidus, lentus, nonnullis tenuis & spumofus: quo bene procedente spirandi difficultas quodammodo remittit. Urinae minguntur tenues. Frigent extrema. Alvus plerumque est obstructa & quidem pertinacissime: quæ clysteribus extorquentur fœces, sunt siccissimæ, paucæ, cellularum intestinalium formam habentes. In nonnullis adest febris cum pulsu celeri. Alios aphthodæ faucium vesiculæ cruciant. Interdum tertia quartave septimana purpura rubra vel alba lucida aut aliud exanthema, quandoque & scabies erumpit. Ego pectus antè purpura obsessum, extrema vero libera habui. Quidam autores etiam œdematosum totius corporis tumorem, Storchius faciem inflatam annotarunt.

§. XI.

Tussis declinationem indicant paroxysmi rariore & leniores. Nonnullis in fine alvi fluor, aliis sudores superveniunt. Majorem in hoc stadio jam attentionem requirunt tussis effectus, & ab ejus vehementia & diuturnitate oriundi quorum plurimos

§§is



§§is præcedentibus jam attegimus. Licet omnia satis bene ex & ægri & medici votis successerint, reconualescentes saltem *defatigati* maximopere sunt: conqueruntur de *doloribus lumborum* & præcipue *in osse sacro*. In pluribus quoque *coctio alimentorum vitiata*, atque inde *atrophia* remanent. Vasculorum pulmonalium ex tussi tali inducta debilitas sæpe ad *Hæmoptysin*, *Tabem* & *Pthysin* sternit viam. Aliquos nunc *faucium dolores*, *inflammationes* & *exulcerationes* molestant: quæ affectiones ab allisionis diuturnitate oriuntur: prouti a laboriosis illis conatibus *Herniæ*, præsertim in infantibus, *abortus* in gravidis, atque *gibbi* (1) a variis annorantur observatoribus. Quin Miscel. Nat. Curios. (2) notabilem allegant casum de *corpore vertebræ dorsalis præ tussis vehementia in medio disruptæ*. Tandem quoque *Cariem Z. Vogelius* sæpius ab hac tussi observavit & ejusmodi casus notabiles scilicet cariei in maxillis adduxit (3). Causam ejus citat & mucii intra genas & dentes moram, unde his partibus inflammatio & caries accedant: & ejusdem deglutiti in ventriculo chylum corruptentem indolem; chylo

(1) Conf. Hippocrat. S. VI. a. 46 & quæ §. 2do diximus.

(2) Cent. I. obs. 1.

(3) In seinen Anatomis. Chirurgis. und Medicin. Beobachtungen, obs. 35-36. p. 247-254.



chylo corrupto sanguinis, inprimis feri & lymphæ depravationem.

§. XII.

Mortem si infert, plerumque 3tia, 4tave hebdomade necat. Omnium tristissimus ejus exitus est *suffocatio*: subito tunc & in paroxysmo pereunt. Id quod paulo ante ex virium gradu prognosci potest (1). Adspectui satis horrendus quoque aliorum ex hoc morbo finis est *catarrhus suffocativus*. Multos etiam superorta *Epilepsia* e medio tollit: utpote quæ inprimis metuenda est in infantibus dentitione difficili cruciatis. Reliqui corripuntur *tabe*, consumuntur maximopere, multa tussi moderatiori excernunt, febris tandem accedit hectica & post 3 menses moriuntur Phthifici.

§. XIII.

*Prognosin* jam facturi sumus. Hæc tussi ante 4tam, 5tamve septimanam liberantur paucissimi. Plurimos ad 3tium, 4tumve mensem usque vexat, inprimis cachecticos, cacochymicos, hypochondriacos,

---

(1) Exempla ejusmodi invenies apud Willisium Pharmac. ration. P. II. S. I. c. 6. p. 61 & Fabr. Hildan. Cent. II. obs. 62.



cos, atque ubi diætæ vitia commissa & regimen inconueniens adhibitum fuerunt. Aliquos etiam vix post 6 menses relinquit: uti in me expertus loquor. Confirmant idem Cel. Vogelii observationes. Atque Sydenhamus recte eam vocat malum pertinacissimum & pene insuperabile: hinc se in variis atque omnis fere generis remediis operam non semel perdidisse fatetur.

Interdum sine periculo procedit. Aliquando plures imprimis parvulos abripit. Semper tenellis aliquod hebdomadam vel paucorum mensium infantibus vel cacochymicis discrimen adfert, aut lethalis evadit, aut gravissimis stipatur symptomatibus. Præceteris rachitici eâ moriuntur, teste Storchio.

Singulare plane est & vix satis mirandum, quod ejusmodi tussientes a grassantibus variolis immunes sint. Confirmat hanc experientiam medicus quidam Silesiacus, nomine Chiliani (1). Saltem, quando variolis corripuntur, tussis hæc cessat, usque in tempus exsiccationis, eo autem tempore vehementiori recedit impetu & maxime est periculosa (2).

Neque sine periculo est, quando alium morbum

(1) In d. Brest. Saml. im 8. vers. p. 671.

(2) Vid. Brest. Saml. 1726. m. Nov. p. 529.



bum prægressum insequitur, & si ulcera manantia conjuncta habet: his enim tum exsiccatis consolidatisque materia excernenda pulmones invadit, per eos evacuatur, hosque ulcerosos facit.

*Appetitus deletus* jam restitutus fit signum reconvalescentiæ.

*Narium Hæmorrhagia* in hæc tussi frequens & interdum satis fortis: si extra paroxysmum sponte a natura excitatur, utilis & quasi critica est: tussis fit mitior: plethoram noxiam tollit. Si autem est tussis effectus, & ab ejus vehementia in paroxysmo orta, tunc cum paroxysmo cessat, & nihil inde tussi levaminis accedit.

Si statim ab initio *futuri catarrhi suffocativi* indicia: vel si *Lipothymicæ* adsunt, malum prænuntiant exitum.

*Hæmoptysis & Sputum cruentum* mala.

*Convulsiones & Epilepsie* infantibus debilibus supervenientes mortem promovere: apud robustos & valentes contra tussim lenire solent.

*Purpura* expulsa, si sibi relinquitur, neque expellentibus neque repellentibus tractetur, levamen adfert. Calefacientibus, diaphoreticis calidis aggressa, pessima sæpe symptomata excitare solet.

Den-



*Dentitionis* negotium si concurrat, tussis fit gra-  
vior: frequentius enim veræ & horrendæ superveni-  
unt convulsiones.

*Febres* si junguntur seu regulares seu irregulares,  
majus addunt periculum.

*Aphthæ* etiam tussim hanc insigniter exacerbant.

Si autem infantes extra paroxysmos libere & sine  
roncho respirant, nullâ vexantur febre, bene appe-  
tunt, quiete dormiunt, alvum suo tempore deponunt,  
sensim sensimque vires recuperant, instat morbi finis.

§. XIV.

*Sedes morbi* ex dictis inquirenda.

*Caput* accusarunt nonnulli.

Alii sedem ejus in *intestinis* figunt, & causam  
*vermes* credunt.

Aliqui *pectus* eligunt.

In *Diaphragmate* mali sedes statuitur ab aliis.

Plurimi *ventriculum* affici pronunciant. Probat  
suam quisque opinionem. *Caput* accusarunt, con-  
vulsiones quia sese tam facile immiscerent: tussis &  
ipsa sit convulsio vehementissima diaphragmatis &  
thoracis: eamque levent quodammodo copiosa na-  
rium hæmorrhagia seu catarrhagia, id est mucæ e  
naribus fluxus: imo alia jungantur caput afflic-  
tum indicantia symptomata. Verum hæc omnia sangui-

D

nis



nis & humorum, tussis vehementiâ ad caput aëto-  
rum, congestioni debentur. Et hæmorrhagia illa  
sanguinis, prouti catarrhagia feri copiam nimiam  
minuendo quodammodo juvant.

*Vermes in intestinis* stabulantes causam N. tuf-  
sûs esse volunt: quia sæpe narium pruritus adfit adeo  
magnus, ut infantes eas scalpere cogantur. Con-  
cedo quidem vermes in aliquibus conjungi & tuf-  
sim pertinaciorem facere, iisque ejectis illam levâri:  
sed in omni convulsiva tussi eos adesse, ejusque cau-  
sam dare, contrariatur omni experientiâ:

*Pectus* affectum esse judicarunt:

- 1) Ex adjunctis sæpe mox ab initio his symptoma-  
tibus, pectoris oppressione, asthmate, horrore,  
vocis raucitate, dolore capitis gravativo & febre  
catarrhali
- 2) Ex respiratione difficili affectum nostrum plerum-  
que concomitante, sæpissime per eundem auctâ.
- 3) Ex casibus, ubi tussis N. ex peripneumonia cum  
febre acuta inceperit, & post eam remanserit vio-  
lentissima.

Verum enim vero, licet nos semper pulmones  
& pectus simul per consensum affici credamus,  
tamen in pectore solo mali sedem non esse quæ-  
rendam, præter alia inprimis demonstrat libertas,  
quæ sæpe in Nostra tussi, saltem incipiente ob-  
servatur, respirationi dicatorum organorum. Vidi  
in-



infantes eâ affectos sine respirandi incommodo per plateas velocissime currentes & valdopere clamantes: nec inde recessit paroxysmus. Præterea prima ad tussim irritatio non tam in Larynge & pectore, quam inferius circa scrobiculum cordis sentitur. His adhuc accedit tussis N. siccitas: nihil aut parum excernunt, licet summo cum conatu tussiant. Pectoralis autem tussis plerumque cum ejectione copiosæ viscidæ materiæ stipatur: aliquando quidem est sicca, uti a tuberculis duris, calculis & vomicis pure plenis; sed tum non est tanta; simul pectoris ibi sentitur gravatio, & in multis ista tussis a Nostra est distincta. Interim tamen non negamus, aliquando simul pulmones pati. Tunc mox ab initio adfunt pectoris oppressio, vocis raucitas, horror aliaque. Asthma autem, frequens nostræ tussis comes, non semper ex junctâ pulmonum labe, sed ex alia derivandum esse puto causa. Augeri autem illud solet congestis sensim per tussim ad pulmones humoribus. Tandem casus isti nihil aliud demonstrare mihi videntur, quam tussim nostram aliis etiam morbis accedere posse & iis curatis superesse.

§. XV.

*Diaphragmatis affectionem probarunt*

- 1) Ex *tussiendi stimulo* inferius circa scrobiculum cordis percepto: quia ibi inprimis Diaphragma sit



collocatum. Sed & eo in loco ventriculi pars maxime sensibilis est sita. Docent dolores cardialgici.

- 2) Ex *singultu* paroxysmum *terminante*: utpote Diaphragma, quod in tussis paroxysmo in thoracem valente succussu propellitur, in singultu vehementissime motu contrario deprimitur: hinc tussis cessat. Ergo septum transversum tussis N. est sedes. Sed hoc argumentum nullius valoris est. Vomitus ex remotissima etiam parte ortus tolli potest, dato purgante. Quid autem hic facit purgans? motum intestinorum & ventriculi, qui in vomitu erat versus superiora, derivat versus inferiora, adeoque motum priori contrarium excitando palliat vomitum: an ergo vomitus sedes ideo semper in ventriculo intestinisque adest? Spiritu quidem cohibito potueram primum ad tussim stimulum quodammodo retardare, sed minime suppressere, ne in tantum paroxysmum erumperet.

Plura, eaque graviora adducunt argumenta, qui tussim nostrum esse *stomachalem* malunt:

- 1) Creber, qui eam comitatur & levat, *vomitus* quo viscida, mucosa, alba, aliquando simul assumpta rejiciuntur. Tussis quidem pectoralis etiam, si vehemens, interdum vomitum movet: verum hunc ab illo facile distinguunt attenti medici, imprimis quia nullum adferat levamen.

2) Ad-



- 2) Adjuncta plerumque, quæ ventriculi labem indicant, symptomata, appetitus prostratus, indigestio, flatulentæ in abdomine affectiones, copiosi ructus, sensus in ventriculo gravativus, excretio alvi turbata.
- 3) Huc & quodammodo faciunt primi ad tussim stimuli circa scrobiculum cordis perceptio: tussis exacerbatio ab aphthis: alvi fluor in fine accedens, aliaque.
- 4) Tandem juvantia & nocentia: Pectoralibus & dulcibus N. tussis plus exacerbatur: lenioribus laxativis, stomachicis, acrimoniam corrigentibus expugnatur.

Sufficiat, jam exposuisse diversas diversorum sententias. Varias in N. malo per consensum affici partes credo. Afficitur hic pulmo: afficitur diaphragma: afficitur & imprimis ventriculus. Partem autem hic affectam primariam esse ventriculum, confirmant plura. Si autoritate pugnandum esset, sufficere possent nomina Dolæi, Waldschmidii, Ettmülleri, Lindani, Hoffmanni, Bourdelini.

§. XVI.

Sane ventriculus viscus est, prouti theoreticis, ita & practicis maxime notabile. Ejus cum universo corpore consensus maxime mirabilis. Pluri-



mis in morbis ventriculus compatitur. Ex ventriculo affecto quanta sæpe corpori non accidunt mala? Ab eo *cibus nimis repleto* in cerebro vertigo, quin apoplexia, gravissima sane symptomata enascuntur. Inde, si debilitatus *flatus* conceperit, horrendæ sæpe in toto corpore turbæ. Testes sunt hypochondriaci quidam. *Bilis* biliosaque acris & acida saburra in eo contenta non tantum nauseam & vomitum, sed & interdum universi corporis convulsiones atque synco-  
pen concitasse observata fuit (1), excussis autem per vomitum his recrementis illico omnia cessare mala. In febribus continuis, quæ epidemice grassabantur, mirabatur Sydenhamus (2), præter alia mala symptomata adesse ingentem ac subitaneam virium consternationem: emetico vero dato, omnia sæva illa symptomata, quæ & ægros cruciabant & adstantes perterrefaciebant, illico mitigabantur (3). *Vermes* vix ventriculum ingressi maximam subitissime creant & anxietatem & totius corporis debilitatem: quæ omnia abeunt, iis ejectis. *Arthritis in ventriculum repulsa* languores inprimis gravissimos infert. *Opium* adhuc in ventriculo hærens suos, quos nemo non miratur, exserit effectus. *Putrida* in ejus cavo hærentia: *venena* vix assumpta, inde totam animalem turbant  
ceco-

---

(1) Vid. Galen. de Loc affect. Lib. V. c. 6.

(2) Sect. 1. c. 3. p. 519.

(3) Ibid. c. 4. p. 65.



ceconomiam; Dirissima, quæ excitant, mala in tristissimis docuit exemplis Weperus in Histor. cicutæ aquaticæ.

Plura ut hujus, quem ventriculus cum universo nervorum, vasorumque systemate alit, consensus exempla omittam. Eundem concinne satis exhibuit Rega (1). Specialius jam ejus cum pulmonibus & Diaphragmate societatem confirmant alias etiam frequens infantibus a materia acri, nervosæ ventriculi tunicas irritante, *singultus*: creber, qui in tussi violenta, vitio licet in Bronchiis hærente, observatur, *vomitus*: summo, quam sola sæpe causat ventriculi inflatio, seu a cruditatibus affectio, *spirandi difficultas*, interdum cum suffocationis periculo (2): quod symptoma in infantibus, quorum stomachus lacte corrupto infarctus est, sæpius visitur, & leni emetico aut purgante tollitur. Quid? prava ventriculi dispositio sæpe *dolores veram mentientes pleuritidem* excitat, solo emetico curandos (3). Eodem quoque modo affectus pulmo dolores producit *cardialgicos* (4).

§.XVII.

(1) In Tractat. de consens. corp. human.

(2) Bagliv. oper. exp. X. p. 618.

(3) Rega conf. part. c. IX. p. 117. Ballon. Epid. LI. p. 790.

(4) Ballon. LI. conf. 26. p. 60 & 62.



## §. XVII.

Nec mirum igitur ex ventriculo etiam *tusses* per consensum oriri. Tales enim sæpe a saburra acri, biliosa acida, pituitosa, in ventriculo hospitante fiunt, hæque vexant inprimis ventriculo a cibis vacuo, adeoque tempore matutino (1). Febribus intermittentibus laborantes aliquando ante paroxysmum ferociter tussunt, toto reliquo tempore satis ab hac concussione immunes. Familiaris est inprimis febre tertiana præsertim continua laborantibus, teste jam Hippocrate (2). Fr. Hoffmannus etiam se vidisse meminit virum tertiana exquisita laborantem, qui quamdiu horror febrilis durabat, immani tussi vexabatur: hoc superato per totum æstus tempus, ut & per totum ἀπυρεξίας spatium, plane a tussi immunis degebat: ipsa dein tussi eadem proportione decrescente, qua febris per idonea medicamenta detrahebat: unde satis clare elucet, quod hujus tussis causa cum ipsius febris sede ac fomite satis arcte cohæserit. Tales tusses & in hypochondriacis aliquando observantur: conjunguntur ructus acidi & flatus copiosi, facileque in paroxysmo vomitum, qui valde biliosus & acidus est, proritant.

## §. XVIII.

---

(1) Ertmüller. in prax. sua & Harris de morb. acut. infant.

(2) Lib. II. Epidem.



§. XVIII.

Ventriculus sic primaria tussis nostræ est sedes. Sæpe tamen cum eo quoque pulmones quodammodo afficiuntur. Sæpe & Stomacho solo ab initio affecto, tandem nihilominus ad pulmones ferius ocyus malum transit. Ad hos enim tantis concussibus debilitatos major etiam ruit feri acrioris copia.

§. XIX.

Ordo nos ducit ad causam tussis Nostræ investigandam: Hæc ut constet, prius notandum ventriculum nervis ditissimum, adeoque irritationis, sensus & spasmis capacissimum esse. Longe certe plures nervi ad ventriculum abeunt, quam ad Hepar toties ponderosius, aut Septum transversum, adeo validi motus instrumentum. Innumerabiles autem hi nervi expansi, divisi, retiformes, coeuntes, iterum divisi, villorum, papillarum, sphincterulorum infinitum fere numerum impertientes. Oriuntur vastissimi imprimis a pari vago cum intercostali nervo misto, a quo & plexus pneumonicus (1). Stupendus autem hic in ventriculo apparatus huic non solum motum sed & sensum maxime exquisitum faciunt. Vini emetici vim neque

E

lin-

---

(1) Vid. Eustach. Tab. XVIII. Vieussenii Neurograph. Cap. 5. Tab. XXIII.



lingua, neque nasus detegit, eo magis autem ventriculus sentit, ut in vomitum irriteretur subito. Inter minimum etiam horum ramulum & omnes, inter omnes & minimum, mirus non solum datur consensus, sed stimulat in consensum quoque trahunt nervos irritatis nervis consentientes, pertinaxque irritatio tandem afficit omnes.

§. XX.

Quia Epidemica, oriatur ex causa communi necesse est. Et quidem oritur ex aeris vitio peculiari. Quolibet anni tempore observata fuit regnavisse.

- a) *Tempore autumnali* eam observavit Sydenhamus, causamque addens, dicit: *mensē 8brim* crebrioribus, quam soleret & ferme continuis perma-  
duisse imbribus. Testis & hic citari meretur Fr. Hoffmannus, ejusmodi tusses plerumque æstatem  
fervidissimam & frigidiora autumnī initia sequi  
affirmans; unde, pergit, quæ æstate liberior fuit  
transpiratio hoc tempore subito cohibetur.
- b) Frequentior tamen *hyeme* ejus est grassatio; Hinc Sydenhamus, solenne est, inquit, has tusses sub  
hyemis adventum affligere. Inprimis si frigus  
flantibus borealibus vexat acerrimum.
- c) *Verno* quoque tempore visæ sunt ingruisse. So-  
lis quidem reveniente calore id omnia recreat.  
Subitaneis autem & frequentibus tempestatis mu-  
ta-



tationibus, nec non aer exhalationibus acribus, calore solis ex terra hyeme oclusa evaporantibus, plenus originem epidemicis præbent morbis.

d) Denique & æstate, quando calorem per aliquod tempus satis magnum subito aer humidus saltem frigidus sequatur. Hinc Majo & Junio, quibus per diem æstus, noctu frigus solenne est, interdum familiares.

Conveniunt Ergo observatores, tusses has imprimis oriri post subitaneas caloris & frigoris inter se invicem permutationes, tempestates multum pluviosas, cælum nubilum, ventos frigidos, Eurum & Aquilonem.

§. XXI.

Plurimi igitur *Transpirationem suppressam* tanquam causam remotam: serique a transpirabili remixto acris & impuri redditi ad ventriculum atque plerumque simul ad pulmones decubitu, tanquam proximam materialem incusant. Ita citatus Bourdelin & quibusdam in locis Cel. Hoffmannus. Saltem exhalabilis in corporis superficie insensibilis vapor est excrementitius. Is in humorum massam per frigus subitaneum repercussus, hanc inficit acrimonia, quæ blandissimos ceteros etiam inquinat humores, fitque irritationis causa, miros in œconomia animali edens effectus. Magnum ventriculi quoque

E 2 cum



cum cute externa consensum docet frequens exanthematum externorum ac arthritidis in ventriculum retrocessio. Dictorum virorum sententiæ favet tussis N. exacerbatio a transpiratione suppressa, atque levamen a diaphoreticis. Attamen soli huic causæ singularis hæc tussis adscribi nequit. Nam eadem scilicet transpiratio suppressa alias non nisi catarrhalem excitare solet & in cacochymicis rheumaticam.

§. XXII.

Hinc singularem aeris infectionem, *peculiare ejus miasma* incognitæ licet indolis, cum Hoffmanno, Dolæo, Storchio aliisque statuimus. Dolæus supra jam citatus, quum alias *materiam acidam mucilaginosam* in ventriculi cavo fluctuantem pro causa agnosceret, tamen ultimo adjungit: *sæpissime* tamen videtur causa ferox advenire & nihil aliud esse, quam  $\ominus$  quoddam mediante aere corporibus tenellulis communicatum, lymphamque coagulans & acrem reddens. Observatum & simul est, aerem tum plerumque nebulis pernicialibus maleque olentibus aut aliis particulis acribus ac sæpius venenatis, febrium quoque exanthematicarum causis prænantem fuisse. Quin & iis sæpe hæc tussis grassatur temporibus, quibus Diarrhææ ac Dysentericæ familiares. Testatur etiam de aeris miasmate frequens tussis hujus per *contagium* propagatio.

§. XXIII.



§. XXIII.

Causa igitur proxima est acre singulare, subtile, ventriculi nervos hisque consentientes simul ramos ad pulmones, Diaphragma, & Laryngem abeuntes, quin imo & alios per consensum irritans. Sive hoc acre ex transpiratione suppressa, sive ex singulari aeris miasmate oriatur, nervis illis tamen & naturæ id est inimicum, istos irritat, hancque ad tussendum sollicitat. Recte enim etiam motus confetur medicatus, quo optima morborum medicatrix illud alienum vehementi spiritus excussione sæpe & convulsivis atque epilepticis motibus excutere conatur. An autem illud miasma inspiratum & cum saliva deglutitum in ventriculi lympham, hancque inspissando, coagulando & acrem reddendo solummodo agat? vel an succum nerveum in ventriculi nervis peculiariter depravet, veluti mali diuturnitas, periodica invasio & juvantia, cinnabarina & nervina videntur probare? vel an etiam ejus aliquid circulo sanguinis immisceatur, uti febricula sæpe præfens & purpura superveniens indigitare possent? Num denique circulum sanguinis ingressum humores lymphales in mucum admodum tenacem inspisset, quum hic magnâ copia in tussi N. observetur & resolventia inde exigat? omnia hæc nescimus. Saltem non semper violentos ejusmodi pectoris motus pro causa materiam insignis molis habere, sed a sola vellicatione nervosæ cujus-



dam partis originem suam trahere posse, docent non raræ in infantibus difficili dentitione laborantibus tusses convulsivæ. Stimulorum in medicinâ doctrina si clarior esset, forte plura de causâ tussis hujus proxima sciremus. Saltem eam adeo adhuc obscuram merito dolent omnes, quotquot sunt seduli corporis humani perscrutatores.

§. XXIV.

Maxime omnino singulare in N. malo, *ejus per paroxysmos certis de die & nocte horis redeuntes, invasio.* Primo certe intuita satis mirum videtur, cur irritatione, ut causâ, persistente tussis non sit continua? verum ejusmodi casus in praxi occurrunt innumeri. Inprimis autem Hoffmannus observavit, eos morbos, qui ex spasmu primarum viarum fiunt, periodos & stata sua tempora sæpissime servare. Vidit vomitus biliosos singulis pleniluniis recurrentes per aliquot dies cum summa angustia, anxietate & virium prostratione. Vidit quoque ex spasmu Duodeni icterum singulis mensibus dominica die recurrentem & per aliquot dies perdurantem. Vidit & non semel sed sæpius iterumque vertigines, Cephalalgias, dolores cardialgicos, colicos, certis horis ingravescentes. Febres intermittentes statis & determinatis diebus horisque redire, notissimum est. Sufficiet igitur hic notare hæc, licet minus intelligatur eorum causâ. Communis humani judicii imbe-



becillitas quem non premit? Interim ex frequenti recurſu paroxyſmorum hujus tuſſis apparet cauſam ejus materialem, eſſi ſingulis inſultibus aliquid ejus evacuetur, cito ad eam molem redire, quæ nervis ſufficientem ſtimulum inprimere queat, ideoque humorem eſſe toto genere præternaturalem, ſi quidem in humoribus naturalibus tam ſubita cacochymia naſci non poteſt, quemadmodum & valde parva copiâ eam lædere poſſe ex tam celeri recurſu concludi poteſt.

§. XXV.

Cauſæ, cur infantes præ adultioribus in tali aeris conſtitutione tuſſi hæc frequentius & gravius infeſtentur, ſunt ſequentes:

- 1) Tenella eorum corpora minus quam ea adultorum, conſuetudine indurata, aeris inconstantiam, frequentem variationem & depravationem ferunt. Atque eo minus, quo magis ſiniſtra parentum providentia a quavis aura fuerint præſervati.
- 2) Parum curant cæli inclementiam, ſed quacunquæ occasione ſemetipſi rudiori Jovi objiciunt liberalius.
- 3) Quin imo & ſæpius magnas ſubitasque aeris mutationes ſubeunt. Scholæ enim frequentatio eos mox atmophæræ fornacis igne excalefactæ, mox cælo immiti, auræque ſimul viciatæ exponit.

4) Præ-



- 4) Præterea pueri, licet ventriculo per naturam adhuc debiliore donati, tamen continuo sine fame, sine modo, sine fine, sine delectu comedunt, magna aviditate fructus horæos, uvas, pyra, poma etc. ingerunt, primas vias alimentis nimis replent, hinc multas crassas, acidas, biliofas, viscidas & acres in primis viis sibi colligunt cruditates, quæ non solum ad exasperandam tussis vehementiam multum contribuunt, sed forte etiam contagio aut aeris miasmatis fomitem exhibent.
- 5) Mucum, qui naturæ beneficio per tussim e pectore solet protrudi, omnem deglutiunt, ventriculi labem, adeoque simul tussis fomitem alunt.
- 6) Denique debili ac valde irritabili, sensibili, mobili nervorum systemate pollent, adeoque infantes ad motus spasmodicos, convulsivos, & epilepticos quodammodo dispositi & ex facili causa iis obnoxii sunt. Aliter sane adultiorum corpora, consuetudine durata, malignum Jovem non modo innoxie ferunt, sed siquid miasmatis intravit, facile transpirant iterum.

§. XXVI.

Ad *symptomatum*, saltem gravissimorum dilucidationem pervenimus. Difficile fuit hæc omnia suo ordine enarrare. Difficilius adhuc erit, enarrata explicare. Prudens autem tentamen & necessarium & laudabile erit

Pri-



Primum, quod in N. morbi initio se sistit symptoma est *Lassitudo & motus debilitas*, mali prænuntia, comes, pedissequa. Semper heterogena in corpus illata sequitur. Sic eam exanthemata, icterum, gangrænam, sphaelum aliosque morbos præcedere, comitari cernimus. Febre malignâ laborantes vix asserunt se ægrotare, nec aliud fere possunt dicere, quam lassos se esse. Transpiratio etiam vix suppressa, quin nascatur. Quid? a singulari etiam ventriculi irritatione eam oriri, docent venena, putrida, bilis, vermes, flatus, cibi nimii eum ingressi.

*Inquietudo* iisdem fere de causis oritur.

*Rauedo illa sicca* obliuentis mucii defectum in Larynge ob contracta vasculorum secernentium oscula pro causa agnoscit. Incipientem ergo nervorum Laryngis, adeoque ramorum cum ventriculi nervis consentientium contractionem indicat. Larynx maxime est sensibilis: non igitur mirum, nervorum ventriculi irritationem ei facillime communicari.

*Tussis initio sicca* viarum primo malo angustias & pectus materiali nondum consensu tentatum indicat. Istæ si sensim dilatantur, hic si quoque supervenit, naturaque acre istud divite obvolvere lymphæ, involutum incipit expellere, tunc, inquam, augentur sputa.

*Gravis dolor capitis, respiratio difficilis, horror, febris quodammodo catarrhalis* si ab initio mox ad-

F

sunt,



sunt, conjunctum pectoris catarrhum indicant: eju-  
que sunt symptomata.

*Tussis* alias ab initio lenis est, quia causa &  
natura paucos in principio tantummodo nervos in  
consensum trahere videntur. Diuturnitate causæ,  
sensim plures diaphragmatici, pneumonici, interco-  
stales in societatem rapiuntur: hinc tussis fit *vehe-*  
*mentior*. Tandem pertinax irritatio consentientes afficit  
omnes, hinc motus *spasmodici, convulsivi, epileptici*.

§. XXVII.

Tussis paroxysmum præcedit *titillatio in scrobi-*  
*culo cordis*, utpote quæ est incipientis in nervis ga-  
stricis spasmus signum.

In ea *tussi thorax spastice* contrahitur, ejus ergo  
motus expiratorius fit intensior & ut plurimum cre-  
brius per brevissima intervalla repetitur: *diaphragma*  
efferata vehementia sursum truditur, inque systole  
longiori, creberrime & repetita detinetur: inde  
*pulmones* valde compressi in motu suo inhibentur:  
eorumque extensio, adeoque & *inspiratio* magno-  
pere impeditur & interrumpitur: *sanguis* non nisi  
difficilius per pulmones transit: valide, creberrime  
pulmones, viscera abdominalia & universum corpus  
concutiuntur, *sanguinis* magna fit *commotio*. Multa  
ex his nascuntur mala.

*Inspiratio* in eo statu quia interdum fit impos-  
sibi-



sibilis, hinc suffocantur vere quidam in paroxysmo; sanguinis enim intercepto per arteriam venamque pulmonales transitu, cor suo officio desistit, quiescit.

Eadem summopere impeditâ, miseri aliquando subito *lumi prosternuntur*, jacent sic quasi mortui sine sensu, sine motu, sine respiratione. Ejusmodi autem statum medici asphyxiam adpellare solent. Debetur circulationi fere inhibitâ. Maximæ ac perdurantis nervorum contractionis etiam effectus est. Remanet adhuc tamen quidam, licet debilis sanguinis, saltem per cor cordisque vicina motus. Corporis hinc concussione, post pauca minuta resuscitantur; Spasmo enim sublato, musculisque expiratoriis resolutis recedit libertas respirandi, qua simul sanguis suum redintegrat circulum.

Plerique saltem non nisi maximo, eoque quoties interrupto, toties reiterato inspirant labore. Inde & a spastica simul glottidis per vices coarctatione *sonus* fit ille singularis, asinino clamori, licet non robore, similis.

*Anxietas*, quæ tussientem cruciat, est ab impedita respiratione: qua cum & simul sanguinis per pulmones trajectui nascatur obstaculum, ancipiti vitæ omnino premitur periculo: justus ergo his est angor. Molimina naturæ ad heterogenea noxiaque expellenda quoque comitatur idem sensus, qui interdum morte intolerabilior: periculosum fere sem-



per corporis statum sequitur: Atque vitali imprimis systemati hic monitor videtur datus; hinc plerumque plus quam dolor timenda. Meretur hoc symptoma sane ulteriorem medicorum investigationem.

*Faciei rubor, livor, tumor: linguae & labiorum nigredo: palpebrarum tumor: oculorum protuberantia, rubor: lacrymae invite: cephalalgia: vertigo: visus obscuratio & amaurosis momentanea: sudor frontis & colli vasorum imprimis venarum capitis repletionem, adeoque sanguinis in capite congestionem pro causa habent: Cor antequam sanguinem suum per pulmones mittere in tussi ea impeditur, repletur hinc supra modum: venae igitur jugulares sanguinem a capite reducem evacuare nequeunt. Hanc dictorum symptomatum causam esse confirmant Loweri in canibus instituta experimenta (1), aliaque observationes.*

*Sanguinis e faucibus, labiis, naribus eruptiones aeris vehementi ad vascula harum partium turgentia allisioni debentur.*

*Extremorum frigus, aliquando livor, indicat liquida ad extrema stagnare: maxima enim sanguinis copia in venis magnis circa cor dextrum tum haeret.*

*Frigori comes, plerumque est unguium pallor, docent id paroxysmorum in febribus intermittentibus initia.*

Cor

---

(1) Vid. ejus tractat. de corde p. 105.



Cor vero irritatum continuo sanguinis per pulmones transpressi, sed inordinato influxu & copia circa cor dextrum collecti, *palpitat celerrime.*

Unde *pulsus celeres* quidem, sed *debiles* simul & *parvi*, quia parca tantum copia sanguis in arterias exprimitur, quæ illis dilatandis non sufficit.

Aliquando etiam *pulsus intermittit*: cordis palpitantis iste saepe effectus: ructus in œsophago hærentes, quales quoque in tussis N. paroxysmo observantur, pulsum etiam suspendere posse, Pechlinus (1) confirmavit exemplo cujusdam, cui flatuum exsurgentium copia mirifice cor constringebat & interturbabat pulsum: statim vero ac copiosi ructus exirent, liberabatur. Saltem primarum viarum turbis pulsus aliquando quoque redditur intermittens.

☐ & fecum involuntaria excretio a tanto in tanta tussi diaphragmatis & musculorum abdominalium nixu.

§. XXVIII.

Tussi accedens *sternutatio* inani concussu fatigans, in hominibus irritabilioris naturæ præsertim observatur, oritur irritata per consensum membrana pituitaria.

F 3

Sin-

(1) Conf. Lib. II. observ. VIII.



*Singultus* paroxysmo finem imponens, debetur & nervis diaphragmaticis in consensum lacessitis & naturæ viribus. Motus enim in singultu fit contrarius illi in tussi.

*Catarrhus suffocativus* quibusdam superveniens, a subita pulmonum a sanguine aut serosa colluvie oppletionem, nervorumque in organo respiratorio post tantos spasmos Paralyfi accedit.

*Ructuum* etiam copiosa in N. morbo est productio: quando paroxysmum consuetum incurrunt miseri, flatus nasci in abdomine primo sentiunt: oriuntur vero hi, quando oris superioris ac inferioris ventriculi, intestinorumque spasmi aerem elasticum uno momento coerceant; altero laxato claustro, emittant. Paucis per inferiora ob peristalticum motum inversum exeuntibus, plurimi ex ventriculo per œsophagum ascendunt, sensumque globi asurgentis faciunt. In Pharyngem collecti, œsophageo contracto, hunc extendunt, asperam arteriam vicinam quodammodo comprimunt, inspirationem eo adhuc reddunt difficiliorem: Hinc tandem suo carcere liberatis & egressis levamen sentit respirando æger.

*Vomitus* supervenit, si fibrarum muscularium faucium, stomachi, intestinorum, diaphragmatis, musculorum abdominalium fortis fit convulsio? tunc omnia non solum contenta ventriculi expelluntur,

sed



sed imprimis copiosæ mucosæ materiæ fit excretio levans. Ita enim animale corpus factum est, ut ipsi nocitura divite lymphæ abluat, mucoque in vultum sponte sursum deorsumve, diarrhœa vomituve expellat & quidem plerumque cum levamine.

*Convulsiones, motusque totius corporis epileptici* ex apparatu nervorum cum ventriculi nervis consentientium facile intelliguntur. Nunquam satis revolvenda Wepferi observata, passim in historia Cicut. vtic. reperiunda: recensque natorum convulsivi motus ab acido, rem aperte demonstrant.

*Lassitudo post paroxysmum* tantis corporis concussibus adscribenda est.

§. XXIX.

*Difficilior respiratio*, quoties pulmo idiopathice non afficitur ab actione læsa diaphragmatis imprimis pendet. Nervorum ventriculi cum diaphragmaticis mira sympathia, nemini ignota, phænomenon explicat. In morbis hypochondriacis evidens apparet ista: Salvo enim pectore, affectis tantum ventriculi intestinorumque nervis, difficilis mixta suspiriis respiratio fit. In quibusdam sensim etiam pectoris nascitur malum: idque ex humorum maxime serosorum in pulmones tantopere agitados, hinc debilitatos congestione, decubitu. Ad partem enim debiliorem semper majori impetu ruunt humores.

Mag-



*Magnam egrotorum irritabilitatem a magna nervorum tensione derivo.*

*Somni defectus continuo adscribendus est angori & paroxysmi futuri metui.*

*Screatum illum faucium factæ laxitati tribuo.*

*Atrophia fit tum a vitiata concoctione, tum a continuo vomitu, nutritioni obstante, qui si perduret, inedia vice fungitur. Defectu somni & excretionem lymphæ augetur.*

*Appetitus deletus est vitio ventriculi alienis onerati, interdum & aphthosi: bonus manet, ubi ventriculo nulla alia saburra inest.*

*Urinæ parvæ, tenues spasmum ad tubulos renales continuatum monstrant. Ventriculi cum renibus consensum experimur sæpissime. Renes calculo affecti, nauseas, vomitus & ventriculi dolores efficiunt. In spasmodicis flatulentis ventriculi quæ minigitur alba: quin a quibusdam hæc certum paroxysmi hysterici & hypochondriaci imminentis indicium vocitetur.*

*Alvus est clausa: tubi intestinalis nervei per consensum constringuntur laquei: exhalans inhalansque cohibetur organon: lubricantem mucum non effundunt glandulæ: ergo deficit mucus in intestinis, villosa siccescit membrana; tenaces siccæ fœces in constricto exsucca hærent tubo. Ipsâ deficiente bile*  
 (om-



(omnes enim quodammodo imminuntur secretiones) maxime efficax ad propellendas fœces deficit causa, nataque ab his omnibus resistantia, omnes superat nixus.

*Febricula* a generis nervosi irritatione oriunda, acrimonia humorum quotidie crescente excitatur. Acredo in ventriculo etiam febriculæ fomes. Forte etiam ejus aliquid in sanguinem defertur. Vigiliis, secretionibus quibusdam impeditis saltem acriores fiunt humores, solida dein stimulantés, febrim facientes. Naturæ forte viribus etiam aliquid hic tribuendum.

*Aphthodes faucium* a summo ad imum *exulcerationes* aeris graviolem infectionem arguunt. Docent pestilentes quædam constitutiones, iis crebro stipatæ (1).

§. XXX.

Cura N. tussis varia est. Alia est in principio, alia est in progressu. Differt ratione subjecti. Quæque & Epidemia ab alia differt. Collectores Breslavienses tussim hanc An. 1726. epidemicam, pertinacissimam viderunt, nullis anti-catarrhalibus, diaphnoicis, resolventibus, lubricantibus & balsamicis auscultantem (2). Iidem Epidemiæ meminérunt, quæ

G

pecto-

(1) Ephem. Nat. Curios. Cent. III. obs. 53.

(2) Breslavische Sammlung. 1726. Mens. Nov. p. 529.



peccoralibus & dulcibus exasperabatur: optimo autem cum successu dabantur lenia laxantia, Syrupus Rosarum solutivus, violarum, flor. Persicorum, Manna & porro iteratis vicibus propinati ꝑ res temperantes, Cinnabarini, Sedativi: dein & discutientia & resolventia, scilicet Pimpinella alba, Scordium, Enula etc. aliquid efficiebant; plus, si laxantia addita fuerunt (1). Aliam & observarunt medici iidem, remediis nullis nisi vesicatoriis cedentem (2). Nec non aliam omnia peccoralia, resolventia, nervina, atque anodyna moderatiora respuentem sola rad. Hypecacuanh. cum ꝑ d. crebro & repetito usu mitigavit. (3) In Commer. litterario Norib. tussis An. 1756 mense Augusto grassata describitur: nocere in ea peccoralia: nihil fecerunt purgantia: cum fructu adhibita leguntur Oia resolventia v. g. ꝑ O-tus, O-digest. Sylvii, O-depurat. & inpr. ꝑ Millepedum, atque quibuslibet 5 aut 8 diebus data Hypecacuanha (4): Fr. Hoffmannus tussim N. an. 1738 epidemice grassantem observavit, sed malignam cum febre stipatam & crebris vomendi conatibus, quibus bilis porracea instar fœcum cerevisiæ spu-

(1) Conf. Bresl. Saml. im XI. versuch. p. 173.

(2) Ead. collectan. im X. vers. p. 676.

(3) Ead. im XX. vers. p. 469 & 566.

(4) An. 1737. p. 41 & seqq.



spumidæ evacuabatur: in ea enemata præcipuum attulere fructum, satisque diuturna quiescendi & vires colligendi spatia procurarunt: qui vero naturam, uti rebantur, sequendi & juvandi spe vomitorias medicinas acceperant, infausti conatus pœnitentia mox ducebantur, neque pauci horum fata subiere. Cel. Vogelius post observatas aliquod ejus epidemias affirmat pectoralia, resolventia, bechica tussim febrimque exacerbasse, purgantia & vomitoria sæpius propinata maxime juvasse: præterea *Naphtam* & *li, saccharo junctam, Essentiam amaram cum Liq. Vta Tri* quotidie ter quaterve sumtam, *Elyxir pectorale Wedelii cum naptba Dulc.* & paucis guttis *Laud. Liquid. Sydenhami* operæ pretium fecisse asserit. En quantam curationis differentiam!

§. XXXI.

Citati vix viri doctissimi, ut & alii, uno omnes ore fatentur, *Dulcia, expectorantia, Decoctaque incrassantia* plerumque nocere, tussimque exacerbare: iis laxatur pulmo: nimius ad eum concitatur affluxus: quæ potius incidenda, resolvenda, diluenda videtur materia magis incrassatur: pervertitur simul, destruiturque ventriculi vis digestiva: via ergo ad cachexiam, Pthisin, hydropem panditur. Quomodo ergo cura incipienda? In varias autores abeunt partes. Alii *Venæsectione* incipiunt: emetico alii: ceteri purgante medicinâ. Quidam anodyna præmittunt reli-



quis. Rationalem autem medicum semper ægri natura, ætas, morbi symptomata, epidemiæ cognitio & reliquæ circumstantiæ ad agendum determinant.

§. XXXII.

In adultis, plethoricis commode a *Venæsectione* fit initium. Dolæum video hanc quam summopere laudare, ita ut etiam eam in pueris X, VII, VI & V annorum instituere svadeat. Inprimis autem Sydenhamus phlebotomiam tanti fecit, ut se ea & repetitâ catharsi solis malum illud gravissimum expugnasse sancte testetur. Eam in brachio instituere præcipit. Neque is infantilem ætatem exceptit. Sed relinquamus, ut Hoffmanni (1) verba mea faciam, Angliæ medicis suam seu experientiam seu persuasionem: id scimus, quod illi, qui in Germania N. eundem morem invehere annisi sunt, nihil præstiterint, quod invidere eorum successibus & æmulari artificium impulerit. Neque tamen in universum repudiamus hoc evacuandi genus, quod tussientis conditio sæpe exposcit, etsi tussis per se minime postulat. Putamus etiam venam secandam esse efferâ tussi laborantibus illis, qui semel aut sæpius sanguinem e pulmonibus vel ventriculo ejecerunt; deinde feminis mensium obstructione laborantibus  
aut

---

(1) Vid. dissert. sæpius citat. §. 41.



aut gravidis, tam omnibus huic artificiali evacuationi  
adsuetis, si tempus consuetum vel instet vel præsens sit.

§. XXXIII.

Post *Venæsectionem* aut etiam sine eâ in infantibus, in-  
terdum statim *vomitum* excitare juvat. Epidemiam  
ejusmodi emeticis debellatam citavi §. XXX. Hoff-  
mannus Noster instar regulæ ponit: tussi stomachali  
puerorum, si nihil est, quod prohibeat, succurritur  
leni emetico (1). Ettmüllerus suas de N. tussi obser-  
vationes suis operibus inferens, adjungit: absque vo-  
mitu eam vix curari posse, cum eo facile depellatur:  
cum autem provocari posse cum penna ☉ tincta. Ci-  
tatus supra Bourdelin plurimis in hoc morbo emeti-  
corum utilitatem demonstrat, iisque in causa tollenda  
palmam adscribit: præsertim cum infantes facillime  
ob feri abundantiam & mollia atque flexilia nervorum  
stamina vomitoriorum vim sustineant. Indicant vero  
in N. morbo emefin sordes ventriculi simul præsentis,  
epidemica constitutio, & denique vomitus spontaneus  
levans, noxiaque hujus per stomachalia, theriacalia,  
& anodyna suppressio. Alii *oxymel Squilliticum*, alii *radi-  
cem Hipecacuanbæ*, quidam *Ærum emeticum* præsertim  
concisa dosi in Mixtura commoda solutum, adhibent.  
Bourdelin *kermes minerale*, quod ex Jnii parte regu-  
lina,

G 3

(1) Tom. III. p. 114.



lina, ⊖ alcalico fixo & vero ♁re minerali constat, optimum judicat, cujus gr. j quatuor cochlearibus vini & aquæ duobus cum pauxillo saccharo miscere & cochl. j. omni horæ quadrante pro dosi exhibere jubet: aut si mitior desideretur effectus, dosin gr̄ß vel unius 3tia aut 6ta quavis hora vel per se vel cum ☉ Amygd. dulc. vel confervis propinare. Hoffmannus (1) pectoralia, anodyna, laxantia & emetica in una combinavit Mra alternis diebus repetenda, cujus compositio est sequens:

℞. ▽ Hyssop.

Veron. aa ʒj

Essent. Croci

Spir. ⊖\*ci aa gt. XX.

Syrup. Man. c. rhab. ʒij.

ʒri emet. solut. grj.

hæc pueris 12-15 annos natis tota: dimidia pars illis, qui 6-7-8 annos habebant: quarta 3 annorum infantibus fuit data. Secutus est vomitus cum presentaneo levamine & expectoratio etiam melior facta. Verum enim vero medicus rationalis sese in selectu emetici ægri naturæ circumstantiisque accommodat.

§. XXXIV.

*Laxantibus* præsertim lenioribus in N. affectu  
sua

(1) Tom. III. p. 121.



sua quoque persape laus est. Recommendantur & post emesin & ejus loco, quando hæc institui nequeat. Juvant & in morbi incremento & ejus decremento, vires ægri quando permittant. Epidemiam iis curatam habuimus supra. Omne malum saepe his foliis in sua origine tollitur. Præterea alvi lubricitas, ut in omni, ita præsertim in hac tussi magnam adferre opem, observatum est; alvus, quæ plerumque adest adstricta, eadem jubet. Partem materiæ peccantis forte etiam educunt. Incipientem feri in pectore congestionem, affluxum, decubitum derivant. Sua autem quivis Autor sic commendat laxantia. Nonnulli *æthiopem mineralem* ex grio & ære paratum: quidam *grium dulcem* extollunt. Sydenhamus *infusionem Sennæ & Rhei cum Manna & Syrupo Rosarum solutivo* quotidie exhibuit, donec vel profus convalesceret æger, vel admodum imminuerentur symptomata: vel si *potio* minus arrideret ægro *Pil. Coch. Maj.* ℥ij quotidie devorandos imperavit. Storchius *Tincturam Rhabarb. cum Tinct. cascavil.* per diem aliquoties exhibuit. Alii ex *Rhab. & Jalap.* suum componunt medicamentum. *Syrupus Rosarum solutivus, Syrupus Cichor. c. Rho,* *decoctum laxativum viennense, Passulæ Rhabarbarinæ* ab aliis adhibentur. Leniora *mannata* plurimi suadent: saltem acre simul demulcent, & sine magna molestia ac virium lapsu evacuant. *Manna* autem non ad ℥ sed ad ℥ij in infusis & decoctis præscribatur, ejusque usus, si res postulat,



lat, repetatur. Cel. Hoffmannus ejus ℥ij in ∇a veronica vel flor. Acac. ℥viii leni calore dissolvere jubet adjectis postea Terr. fol. ꝑri vel cremor. ꝑri ℥j & aliquot guttulis Ⓞi de cedro, Anisi, vel Macis: aut ejus potiuncula fiat modo sequenti:

℞. Cremor. ꝑri vel alius Ⓞis digest. ℥j Solv. & Coq. in ∇ Com. lbj, ad medietatem:

Adde Mann. elect. ℥vj clarificetur albumine ovi, addendo simul succum citri succulenti: denuo fiat parva ebullitio. Coletur denique subfrigide per linteum album, cui flavedo recens cort. citr. indita est, aliquoties, donec fiat potus clarus. Alias tamen huic potui, ne flatus creet, addi potest Ess. Cort. Ⓞtior. vel ∇ Cinnam. *Manna* etiam cum lacte propinari potest. Aut etiam *Mannæ solutioni* cum paucillo Ⓞris rad. Jalap. addi potest Syrup. flor. Persicorum aut Ⓞ rad. Hypecac. ut sursum peracta unâ alterâve evacuatione, potissima tamen operatio per alvum fiat. Aegro convenientius ex his seligi potest & debet medicamentum. Alvus officii sui in N. affectione non adeo facile admonetur: rara hinc in eâ a medicamentis hypercatharsis. Id & ego expertus: Dissolutio Mannæ in ∇ veronica sumta vix tres mihi movit sedes, maximam flatuum procreavit copiam: *Elixir Salutis* s. *Essent. Sennæ* ad ℥j sumsi, alvus restitit pertinax, tandem tamen cessit clysteri acriori.

§. XXXV.



§. XXXV.

Sique ventriculus hæc ferre nequit laxantia: purpura erumpens, aliaque ea vetant: vel *suppositoriis* vel *clysteribus* alvi obstructionem expeditimus, stricturas illas, inhærentes plexibus nervorum abdominalibus, sublevamus, copiosi feri, mucique quantitatem derivamus & per congruum ejus emuntorium, quo nomine inprimis crassa celebrantur intestina evacuamus: optata & magna hinc sæpe ægrotis accedit tranquillitas. Cel. Hoffmannus secundum §. 30. his fere solis quandam debellavit epidemiam. Ex meris emollientibus hi inprimis constant clysteres, additis tamen ⚔s carminativis.

§. XXXVI.

Interea etiam simul præscribantur *diluentia & leniora diaphnoica*. His subtile illud acre sanguini immistum per cutim commune humorum subtiliorum diverticulum expellitur. Saltem in omni tussi bonum est, frigus vitare & corpus ad transpirationis placidum successum bene habere dispositum. Transpiratione suppressa pejorem me sensi. Sudorem spontaneum in quibusdam observavi cum mali levatione. Operæ interdum pretium faciunt ⚔ *res diaphoretici* ex Lap. ⚔, ⚔ re Marchion, Succin. ppt. In diaphoretico, C. C. f. Δe ppt. ⚔⚔, additis aliquot guttulis ⚔ N. M. express. v ⚔ Mac. vel etiam croci. Acidam biliosamve ventriculi saburram simul

H

mul



mul mutant. Sed nonnisi in primo tussis accessu adhiberi possunt; deinde paroxysmis presentibus ob vomitum non amplius locum retinent, majorem enim nauseam creant. Iphis quoque *Flores*  $\ddagger$  *ris* adjungere licet, maxime si achores, si scabies retropulsa morbum aleant. Abstinentum autem a calidioribus, stimulantibus. Hinc forte Sydenham: *minus* tuto adhibentur sudorifera, a quorum usu ager  
 „nonnunquam in febrem incidit, nonnunquam etiam  
 „particulæ sanguinis facile inflammabiles ita pleuræ  
 „impinguntur, ut accendatur Pleuresis, quod per  
 „decursum dictæ tussis epidemicæ ingenti vi hominum  
 „cum suo magno *periculo contigit.* Mixturæ ex vis diapnoicis optimæ. Quibus adjungantur in fusa herbarum pectoralium theiformia, mane intra lectum potanda cum blando regimine.

§. XXXVII.

Conveniens quid *regimen*, bona & *dieta* quid in morbis efficere valeant, omnes non ignorant medici. His quandoque plus quam medicamentis proficimus. Eadem & in N. malo ad naturæ ductum dirigenda sunt. Aer ante omnia moderandus, nec frigore nec calore excedat, sit talis, qualem sponte sua sibi exoptat ægrotus, in quo ejus corpus perpetuo madeat udore. Vespertinus ac nocturnus præ aliis nocet: frigidum, nebulosum, pluviosum, præfervidum detestantur etiam sani. Qui purpuram  
 ram



ram calore pellere student, male sibi consulunt: aut  
 tussim faciunt pertinaciorem, aut febrim incendunt.  
 Frigido qui potu solamen sibi quærunt, falluntur,  
 is enim tussim auget. Sudore perfusi ægri subita-  
 neas aeris præsertim frigidi admissiones cane pejus  
 & angue evitent. Indusum si mutandum alio ca-  
 lefacto, id in calido fiat cubili. Pro cibo juscula  
 hordeacea, avenacea cum passulis minoribus, prû-  
 naque cocta maxime appetii: quæ ex carne, minus  
 arridebant. Inprimis caveant sibi a valde  $\ominus$ tis, fu-  
 mo induratis & aromatibus nimis conditis, nec non  
 acidis austeris. Pro potu Willisus Bochetum ex Sar-  
 saparilla, china, Santal. Rasura Eboris, C. C. cum in-  
 gredientibus diureticis & antispasmodicis laudat.  
*Decoctum Helenii* alii. Frequentissime dantur *De-*  
*cocta ex hordeo*, Rasur. C. C. rad. Scorzon. ac Gly-  
 cyrrhiz parata. Cel. Werlhofius (1) de *decocto Rad.*  
*chin. optime* saturato & cum 3tiâ, 4tâve lactis por-  
 tione mixto gloriatur, ejus usum continuatum non  
 concedere, quod æger moriatur. *Decoctum Rapa-*  
*rum* sapius in infantibus exhibitum, hoc in casu  
 tanquam specificum a Cratone & Etmüllero lau-  
 datur, atque ab ultimo mulierum euporiston dicitur.  
 Fit ex V-VI rapis derasis & hordei pugillo cum  
 va coctis & colaturæ addito saccharo canariensi,

H 2 in-

---

(1) In Commerc. litt. Nov. 1733. p. 173.



interdum & croco. Hujus usu curata N. tussis epidemia, alias maxime rebellis habetur in Collectaneis Breslaviensibus (1). Forestus enarrat se vidisse medicum, qui hanc tussim commode curaret sequenti decocto:

℞. Rad. Alth. bene mundat. ℥iij.

Coq. in Lact. vaccin. lbj; vel melius in flore lactis ad optimam dissolutionem fundantur & cribro cremor excipiat: adde

Sacch. Cand.

Penid. aa ℥iij.

M. tempore tussis vehementis detur cochl. j. deinde bis in die. Eodem deinde vir doctissimus ipse cum utilitate usus, raro eum fefellisse testatur. Nulla autem convenit cerevisia, si paulo fortior: multo minus vinum acidum. Denique & a tussi reconvalescentes vino ne abutantur, frigus horreant, animi tranquillitati studeant, ne in eandem relabantur, longe graviolem.

§. XXXVIII.

Tenax, qui tum in ventriculo & intestinis, tum in bronchiis hærere observatur, mucus, *incidentia solventia* erigit. Insuper expectoratio a natura incepta est promovenda. Præstant hic Rad. &  
Foec

---

(1) An. 1726. Mens. Nov. p. 529.



*Foec. Ari, Rad. Frid. Florent.* ejus grvj matutino tempore in  $\nabla$ a Card. Bened. cochl. j-ij infantibus exhiberi possunt. *Rad. Squillæ* ad gr. v-vj cum pauco  $\ominus$  data. *Essent. gum. \*ci*,  $\oplus$   $\ominus$ \*ci *anisatus* a Dolæo extolluntur. Scopo omnium optime satisfaciunt dulcibus juncta acria resolventia. Hinc *succus Raphani cum saccharo* tanti habetur. Infantibus in primis convenit sequens compositio.

℞. *Essent. Pimp. alb.* ʒiij

*Syrup. d. Erysim. Lobel.* ʒiij

M. D. S. quotidie detur ter cochl.  $\beta$ .

*Oxymel Squilliticum* cum Syrupo quodam remixtum vel ejus loco pauperibus datum *acetum commune*,  $\nabla$  *dilutum* & saccharo junctum maxime proficua etiam deprehensa fuerunt. Vulgo quidem acetum quam maxime reformidatur, ubi tussis adest, causam autem non perspicio. Augent ea remedia quidem tussim, sed ea est maxime necessaria, interim valdopere resolvunt. Mirandam eorum in epidemica hujus anni tussi efficaciam expertus est Præceptor venerandus D. Leidenfrost. Licuit mihi id ex ore ejus haurire. *Pilule balsamicæ Mortoni* remedium etiam sistunt in hoc casu nunquam satis laudandum, resolvunt mucum tenacem, expactionem promovent, tussis nimiam vehementiam moderantur. Magnum ab iis assumtis levamen sensi.

§. XXXIX.

Sæpissime effrenes pectoris spasmi sedationem

H 3

in-



indicant: interdum hæc etiam mox ab initio curationis ob gravioris periculi, hæmoptyses, abortus, Epilepsiæ etc. metum suscipienda est. Varia a variis hic suadentur remedia. Fr. Hoffmann. *clysterem* domesticum simplicem carminativum injiciendum curavit: interne præscripsit *Electuarium ex Amygd. dulc. & Sperm. Ceti* v. g.

℞. ♂ Amygd. dulc.

Syrup. capil. ꝑris aa ʒj.

Spermat. Ceti ʒij.

Croci gr. XV. M. D.

Vel *Syrup. Papav. alb.* in jusculo avenaceo exhibit (1). *Crocum* etiam suadet pectori amicissimum. Willisius *decoctum* vel *Syrup. ex Castoreo & croco*, it. *decoct. Pæoniæ* maris atque *Hyssopi* laudavit. *Cinnabarina* superius §. XXX. vidimus laudata. Efficaciam suam etiam hic manifestant *Liq. anod. Hoffm. & Liq. c. c. succinatus*, *Laudan. liquid. Sydenh.* cum *u c. c. maritatum*, inprimis deprædicat Boyle de utilitate philos. p. 348. Ab eodem vesperi infantibus ad gr. ij-iiij exhibito magnam omnino per noctem tranquillitatem observavi. *Theriaca Andromachi* ad gr. Vj-Viiij eadem fecit. Ad fortiora interdum deveniendum est anodyna. In usum vocentur *Piluli de styrace* alcephanginis nuptæ & vespe-

(1) Tom. III. p. 121.



vesperi data, conjunctis ceterum expectorantibus,  
 ꝯ amygdalino ac spermate Ceti, *Pilula de Cynoglossa, Starckeyana, Wildegansii & Theriacalia.* Insuper eundem in finem habentur quædam externa. Sic *emplastrum diæris Rulandi*, pectori impositum insigniter in N. tussi profuisse dicit Hoffmannus (1). Hic etiam sequens emplastrum longo comprobatum usu commendat.

℞. Myrrh. elect. Bdellii, Succin. Sperm. Ceti  
 Axung. human. Ceræ, Milii aa ʒij  
 Saponis vener. ʒiij  
 Croci ʒj

Camphoræ ꝑ ut F. Empl. quod pectori, collo, spinæ dorsi imponatur. Alii laudant *Emplastr. d. Sperm. Cet. ungt. rubr. potab.* cum ꝑ pectori illitum: ut & *ungt. pectorale* in sedanda tussi, doloribus pectoris mitigandis & juvanda expectoratione magnam præstat opem. Aliqui quoque pectus ungere solent ꝯ *fl. Chamom. Lil. alb. Castor. c. camphor.* Nec hæc externa sine cautione sunt applicanda. Videndum prius an forte purpura erumpens aut singularis subjecti sensilitas eadem vetent. Storchius quidem de ꝯ *Chamom. camph.* etc. pectori inuncto observavit, quod potius purpuræ eo in loco eruptionem promoverit cum ægri levamine.

§. XL.

(1) Tom. III. p. 113.



§. XL.

*Revulsionis* gratia aliqui plantas pedum *axungia porci*; *Dolæus pinguedine Lucii piscis* vel *Sevo hircino* inungere præcipiunt. *Vulgus cepas contusas* & *frixas* soleis applicat. Optimi quoque autores suadent *vesicantia* in furis. Sic §. XXX. epidemia hujus tussis citata legitur, omnibus remediis rebellis, vesicatoriis optime cedens. Sic Sydenhamus, optimus ille naturæ minister, epispasticum & quidem satis amplum posteriori cervici applicare jubet. Sic Fr. Hoffmannus (1) meminit, vesicatorium cervici impositum incantamenti instar hujuscemodi tussim sanasse, constrictos cutis poros aperiendo materiamque irritantem eliciendo. Sic & præceptorem meum, cujus memoriam nulla mihi ætas delet, Ill. Leidenfrostium idem remedii genus summo cum fructu in tussi Nostra hujus anni epidemica usurpasse novi. Optime enim vesicantia naturam debilitatam excitant, acre serum avocant, evacuant, cutis poros aperiunt. Efficaciorem tamen hic adhuc præstant vim, ubi catarrhus jam adest suffocativus a colluvie serosa in pectus debile effusa: aut ubi defluxiones capitis diuturnæ, scabies retropulsa aliudve exanthema retrogressum, ulcera exsiccata, tussim fovent.

§. XLI.

U: *Specifica* in malo N. laudantur *decoctum Ra-*

---

(1) In sua de tuss. convuls. dissert. §. XXXII.



*raparum*, cuius §. XXXVII. jam mentio facta: *Muscus quernus* ꝑ bus aliis & decoctis additus (1): *Muscus pixidatus* quocunque modo sumtus: *caro murium frixorum comesta* (2), aliaque. *Expressionem millepedum ad pertussim* tantopere laudatam Fullerus (3) exhibet. Cl. Cheyne (4) de sequenti inprimis Syrupo prædicat, quod tussim convulsivam infallibiliter tollat v. g.

R. Milleped. in vino alb. demers. q. v.  
 exprime succum & add. Sacch. alb. q. s. ut F. l. a.  
 Syrupus, cochleatim sumendus. Denique puellam quinquennem eâ tussi laborantem, unâ alterâque guttâ *∇æ Antis a limace exiguo Se consperso* (quo modo limaces in liquorem resolvuntur) in cyatho cerevisiæ communis assumtâ, ex incontinenti curatam vidit Forestus. Pauca hæc de specificis sufficiant.

I

Ex-

(1) Saltem ejus *decoctum* omnium medicamentorum esse præstantissimum, nos experti sumus, sunt verba Baglivi. Idem fere præcipuum *Syrupi ad tussim convulsivam*, utpote qui Fulleri autorem, agnoscit, ingrediens constituit.

(2) Conf. Allen. Synops. med. pract. c. XV, art. 32. *Mures* quoque coctos, a nutrice masticatos & pro cibo filiolarum unius anni, vehementissime tussienti datos ab ejusmodi tussi liberasse, docet Forestus.

(3) In Pharmac. extempor. p. 141.

(4) In tractat. de arthritide. p. 116.



Experimentorum circa ea institutorum inopem me fateor lubens.

§. XLII.

Ultimo, licet minime ultimam, tamen singularem medici opem exigunt quædam, quæ maxime in N. tussi urgere solent, symptomata. *Vomitus* male ant-emetiis, theriacalibus, anodynis sistitur: multum enim eo materia peccantis excernebatur. Nec semper tuto adjuvatur.

*Hæmorrhagiæ* excedenti occurrimus Otri & pediluvii calidi usu. Otrum scilicet vel ad grX-XV usque ad ℥j in vā fontana vel mixturæ alicui additum assumitur.

*Convulsiones & epilepsiæ* ‡ res potionesve antispasmodicas, ant-epilepticas indicant. In *Commerc. Litt. Norib.* laudatur ad eas *expressio Millepedum Fulleri* (1).

*Alvi obstructio* suppositoriis, clysteribus, Tra. Rhab. Syrup. Cichor. cum Rheo, Elix. Salutis tollitur.

*Purpuræ* aut *alius exanthematis* eruptio neque expellentibus promoveri neque repellentibus impediri debet. Utramque methodum mala sequi solent  
sym-

---

(1) An. 1737. p. 42.



symptomata. Moderatum inprimis regimen hic est optimum. Sudor vitetur. Vitentur etiam laxantia. Transpiratio autem impedita inprimis unio diaphoretico, manu tamen parcâ dato, conservetur.

*Flatuum, ructuumve productio* carminativa, ventriculi intestinorumque debilitas stomachica lenia indicat. *Corticibus Otiorum* saccharo obductis & *Elixirio balsamico Hoffm.* magno cum fructu usus fuit. Ill. Hoffmannus sequens valdopere laudat electuar. v.g.

℞. Conserv. tosar. rubr. ℥ij.

Anthos ℥j.

Succini ppt.

N. M. aa ℥iij.

Syrup. cort citri vel Otior q. s.

*Essentia Ambrae genuina*, cujus præparationem idem vir excellentissimus medicis communicavit (1), nec minus  $\nabla$  *veronicae* vel *Hyssopi* cum vino  $\mathcal{R}$ ta & edulcorata, addito tantillo *Croci*, hunc quoque scopum explent. Parcus his *vini vetusti generosi* subjungatur usus.

In *exulcerationibus aphthodeis* os faucesque crebro colluantur decoctis vinosis aut simplici vino vel oxymellite. Pauperibus sufficit acetum melle simplici aut rosato temperatum, vel decoctum raparum cum melle &  $\mathcal{O}$ tro.

I 2

Fau-

(1) Observat. physico. med. L. I. obs. 18.



*Faucium laxitati* succurrit gargarisma roborans  
v. g. decoctum *Salviæ*, *Hyssopi*, *flor. Rosar. rubra-*  
*rum* cum vino rubro paratum.

§. XLIII.

Tussi tandem decrefcente *pulmonum nata de-*  
*bilitas* roborantia exigit, ne *Phthisis* insequatur, tuf-  
fis que recidiver. *Cel. Storchius* hic *Tra Rhabarb.*  
*cum Tra ꝑri* vel *Tra Cinnam.* paucisque guttis ꝑ  
*Anisi* mixtam, commendat. *Fr. Hoffmannus* *Essent.*  
*Succin.* vel *Cascaril.* vel *m C. C.* cum *Tra ꝑri* &  
liquore suo anodyno mixtum additis aliquot ꝑ *Ligni*  
*Sassafras* guttulis: vel *Balsamum suum vitæ* ad ali-  
quot guttas cum *extracto* aut *Tra Croci* dare jubet.  
*Herbæ* sic dictæ *pectorales* in infusis continuentur.  
Curationem absolvit motus moderate institutus.



THE-